

cula quotidie auerteret. Vnde haud dubie orta est peruetus ista atque laudabilis consuetudo bene precandi nouis coniugibus, quam omnibus aetatibus in vera ecclesia vsitatam, omniq; studio in ea conseruatam fuisse, nemini obscurum est.

Huius vetustissimi moris vestigijs insistens, Hieronyme candidissime, & piam atque laudabilem consuetudinem istam, inde a maioribus nostris acceptam, nobisque quasi per manus traditam referre volens, Epithalamion quod vides, continens vota, quibus coniugium tuum *DEO* Opt: Max: commendatur, vtrunq; pro ingenij mei tenuitate, & quantum praereliquis negotijs ac studijs, praesertim in tanta temporis angustia fieri potuit, in honorem nuptiarum tuarum composui, Cum vt *μνημόσυνον* aliquod & publicum amicitiae nostrae testimonium extaret, Tum vt pro ratione mei officij hac Harmonia verbis precum addita, quasi *ἐξαρχος* & praecentor essem, tam Ecclesiae fidei meae commissa (cuius tu Hieronyme suauissime quoque, beneficio *DEI*, membrum minime contemnendum, mihiq; ob singularem pietatem, candorem, rectitudinem iudicij, constantiam aliasque virtutes eximias merito carissimum existis, quam aliorum piorum ad sacri Nuptialis tui ceremonias & conuiuium conuocatorum, vt hoc meo exemplo commonefacti preces suas eo promptius, maiorique animi alacritate cum meis coniungant, Nec sint tantum ociosi spectatores nuptialis pompae, vt vulgo fieri solet.

Precor autem *DEVM* Opt: Max: aeternum Patrem Domini nostri Iesu Christi, primum dulcissimi conjugalis foederis autorem toto pectore, ne patiatur preces istas, quae in hoc Epithalamio a me Pastore tuo, aliisque pijs, pro felicitate coniugij tui iunctis pectoribus ad ipsum funduntur, inanes esse atque irritas, sed vt euentus quoque votis nostris honestissimis quam felicissime respondeat.

Et si autem ingenuè fateor *γαμήλιον* hoc chartaceum nimis esse exiguum ac tenue, magnitudinique tuorum in me meritorum minime respondere, Tamen tibi hoc haud ingratum fore con fido,  
vel ob